



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cor Deo Devotum Jesu Pacifici Salomonis Thronus Regius,
Seu Meditatiunculae Exquisitissimæ**

Luzvic, Étienne

Coloniæ, 1729

Incentivum actus amoris Dei super omnia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60085)

*Absorbeat igitur mentem meam, & cor meum mellita vis
amoris tui : da ut amore amoris tui vivam ac moriar,
cum tu me ita prior amaveris, ut non modò plurima mihi
dederis, & pro me feceris : sed pro me etiam dignatus sis
mori. (a)*

Denique ex intimis præcordiis actum amoris Dei
super omnia elice, & conclude more solito.

Pater.

C. M.

(a) Ex S. August. & S. Francis.

*Incentivum Actus Amoris DEI super
omnia.*

PRæcipis bone Deus, ut te amem, & nisi faciam
minaris : an opus est his vinculis, ut ad tuam amo-
rem obstringar : an adeò sum impos mentis, ut tua
beneficia, gratias, perfectiones ignorem : aut po-
tius an corde careo, quo infinitum bonum amem ?
jam si amor amore compensari debet, quis amor amo-
ri divino par esse potest ? ab æterno amasti me cum
necdum essem, aut redamare possem ; Mundum cre-
asti, & conservas etiamnum mei causâ, Angelis man-
dasti, ut me custodiant : mercedem meam esse volui-
sti magnam nimis : peccantem ad pœnitentiam, &
gratiam revocas : sed istud longè amabilius, ô dul-
cissime Salvator, quòd volueris Deus fieri homo, tam
dura, & tam dira pati, ac denique in cruce mori pro
me, qui te morti (ô me crudelem!) addixeram. Hoc
verò omnium est suavissimum, quod morti vicinus
mihi Corpus & Sanguinem tuum in Sacramento reli-
queris pignus admirabile tui in me amoris. O Amo-

rem! ô Ecstasim amoris! quàm dignus es Deus meus, ut summè ab omnibus, & super omnia ameris? Ita ergo amem te, ô JESU mi, Salvator amantium, & Salvatorum amor: absorbeat me vis amoris tui: ut amore amoris tui vivam ac moriar. qui amore amoris mei etiam dignatus es pro me mori. O infinitam Dei bonitatem!

Formula Amoris DEI super omnia.

O Magne DEUS, amo te super omnia, diligo te ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus meis: atque ex eodem hoc amore doleo super omnia, quòd te infinite bonum offenderim, firmissimè statuens in posterum omnia mandata tua per gratiam tuam implere. Et propter quid sic ego te super omnia amo? sanè hanc ob causam, ob immensam perfectionem, incomprehensam potentiam, altissimam sapientiam, infinitam sanctitatem ac bonitatem tuam, id est, propter te ipsum, O Pater, ô Fili, ô Spiritus Sancte, tres Personæ, unus Deus, qui es mihi omnia Amen, JESUS.

Ad majorem Dei gloriam.

F I N I S.

APPRO.